

## PETITIO SECUNDA.

Repugnans est super quod nulla est potentia.

## PETITIO TERTIA.

Non posse super ea quæ repugnant, nullum declarat imperfectionem, neque infinitum non esse negat.

## PETITIO QVARTA.

Infinitum infinito maius esse non potest.

## Propositio ducentesima vigesima secunda.

Quantitates quæ æquales esse non possunt in eodem genere, maius tamen & minus recipiunt, sunt in proportione potestatis.

Com.

Sint propositi duo anguli, gratia exempli, a rectilineus, b verò in circumferentia circuli, qui potest esse maior, & minor rectilineo proposito, & nunquam potest esse æqualis, vt declaratum est suprà, dico proportionam b ad a esse potestate, nam vt visum est, potest esse maior & minor, & est maius & minus verè, & ideo sunt in eodem genere, & uterque est continua quantitas, igitur in transitu necesse est, vt sint æquales aliquando sed non actu, hoc enim repugnat, igitur potestate.

## Propositio ducentesima vigesima tertia.

Quantitates quæ actu æquales esse non possunt, in nulla proportione actu esse possunt.

Com.

Per 9. quinti Elementi.

Sint duæ quantitates quæ æquales esse non possint, vt in priore exemplo a & b, dico quod non possunt esse in aliqua proportione in actu, aliter sint in proportione c, & ducatur c in b, fiat d, erunt ergo d & a æquales, quod est contra suppositum, nam supponitur quod nulla quantitas ex genere b sit æqualis a, sed d est ex genere b & æquale a, & ideo suppositum non manet, igitur a & b non sunt in aliqua proportione in actu.

## Propositio ducentesima vigesima quarta.

Neque temporis ut imaginamur ipsum esse infinitum, neque æui vitarum proportio vlla est ad tempus quod potestate est, vt potè diem vel mensem.

Com.

Tempus ipsum ut infinitum est, aut in actu est, aut refert quipiam in actu, pars autem temporis solum est potestate, quia nullum tempus in actu est, neque annus, neque mensis, neque dies, neque hora aut momentum, sed si totum tempus non esset actu, nihil esset actu, neque totum neque partes. Igitur totum tempus, vel aliquid loco eius est actu, partes autem potestate, sed vt visum est proportio infiniti nulla est, & ad

rem quæ actu non est, igitur tempus nullum habet proportionem ad annos neque menses vel dies. Quare qui dicunt, quod mille anni sunt unus dies, in philosophia errant, secus apud Apostolum, ubi de diuinitate agitur. Ergo anni sunt longum tempus, & dies breves, quia dicuntur in comparatione inter se, & non secundum proportionem ad infinitum. Quia sit infinitum a, & duas quantitates b maior, & minor, vel ergo proportio a ad b c, est vna vel diuersa, si vna, ergo b c erunt æquales, si maior est ad c quam ad b ergo infinitum est maius infinito, ergo non est infinitum, quod est contra petita.

Per 9. quinti Elementi.

## Propositio ducentesima vigesima quinta.

Proportio media non est ex ratione agentis sed patientis.

Proponatur a quantitas, quæ debeat mutari ab virtute quæ non fit in materia, & palā est quod non poterit permu-

tari instanti, quia simul esset, & non esset, ergo repugnaret, neque etiam potest non esse, vt demon-

stratum est in Hyperchen, quia repugnat necessariò & essentia Dei, neque mouetur à certa proportione, quia b caret omni quantitate, ergo nihil ostendit vim ipsius b esse finitam, quod ergo mouetur tardè celeriter paruum magnum, istud contin-

git totum ex conditionibus a, id est, materia & quantitatis: velut, gratia exempli, si a

esset in vasculo palmi, non posset implere iugerum, & hoc non ostendit ullam imperfectionem in b. Et sicut homines omnes

sunt in carcere huius mundi, & tamen videntur esse sibi liberi, & appellant solum illos esse in carcere qui sunt in ergastulo, ita omnis materia, & omnis quantitas habet

conditiones, per quas (vt ita dicam) constingit, & repugnat eas mutari, & ideo vitam agunt sine vlla proportione. Quod

verò dictum est, supra dictum fuit, per exemplum dictum est, non quia ita sit, sive ergo quod in aliquo pariete, non sit albitudo, nisi unius gradus, illa non operabitur

nisi per unum gradum, etiam si calx esset infinitè alba, & similiter de luce Solis,

ergo omnes mentes mouent sine proportione, & non possunt dici finitæ vel infinitæ, quia ipsæ sunt expertes omnis quantitat-

is, immo omnis relationis ad quantitatem, & hoc est quod latuit multos, & maximè propter dictum Philosophi, est ergo omnis operatio iuxta id quod est in materia, &

non quod vna mens maiores habeat vires, alia cum non sit in eis neque maius neque minus.

Per 3. petit.

## Propositio ducentesima vigesima sexta.

Proportio sublimis non consistit in magnitudine, sed ordine iuxta quem differentia est eius quod est ante & post.

Non enim potest esse comparatio iuxta magnitudines motas quoniam vel sunt corpora cœlestia, vel elementaria, elementaria esse

Com.